



G H W

1 6 2 4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Disciplinae:
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
sua à omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K¹
W⁷

iz JC

Signat!

~~SSI~~

7

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
SEXTA
De
AFFECTIONIBUS ENTIS
IN GENERE,
& DE
UNITATE IN SPECIE,
Quam

DEO Trinuno auspice
Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstad. Saxonis

In

ALMA LEUCOREA

Publicè defendet

GILMERUS WALDBERGIUS

Warinensis-Megalburgicus.

*Ad diem 3. Maji, horis matutinis
in auditorio minore.*

WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

ANNO MDCXXIII.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG
DEPARTMENT OF
HUMANITIES
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG
DEPARTMENT OF
HUMANITIES
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG





DISPUTATIO METAPHYSICA
S E X T A.

C O N T I N U A T I O.



Uit *simplex Entis Theoria*, sive ipsius objecti Meta-
physici explicatio; sequitur ut *proprietates, sive affectiones, sive*
adjuncta Entis indagemus, hoc est, ut ea perpendamus, quæ
Enti per se, quatenus tale est, conveniunt. Ratio hujus me-
thodi constat è supra dictis in disp. 2. thesi 3. Sunt quidem,
qui hic primò agunt de *principiis*, è quibus demonstrat Metaphysica: Ubi
notant primum principium Demonstrationis ducentis ad absurdum,
quale est; *Impossibile est idem simul esse & non esse*, ex Arist. 4. Met. cap. 3. t. 8.
Item principium Demonstrationis Metaphysicæ à priori faciunt (non quidem
causam veram, sed) *essentiam Entis & affectionem prius demonstratam*, è qua
fluit alterius ratio: non secus ac in Divinis Immortalitas Dei demon-
stratur ex Independentia. Sed hæc non necessariò hic traduntur. Nam
1. *Metaphysica à se ipsâ loquendo non utitur Demonstrationibus: sed eminentio-*
rem probandi modum obtinet, nempe ex principiis altissimis simplici intel-
ligentia apprehensis procedit. Est quippe scientia cum capite, non nu-
da scientia. Non igitur adeò intererit de principiis Metaphysicæ De-
monstrativis disquirere. 2. *Magis ad pediam* (vel etiam ad prolegomena)
spectat indagare aut ostendere modum demonstrandi seu probandi, quo utun-
tur scientiæ, quam ad ipsum habitum. Hic enim unicè sistitur & absolvitur
in representatione sui objecti, & eorum, quæ ipsi per se ita sumto con-
veniunt. 3. Quod si uberioris doctrinæ ergò adducatur, poterit etiam
aliis in locis hujus rei mentio fieri, utpote in doctrina de Ente & ejus di-
stinctionibus: vel in doctrina de principio & principiato. Neq; verò
causa est, cur modus iste probandi ita hic ostendi debeat, ut *à se ipsâ*
insimulari possint, qui illum hoc in loco non proponunt. Ergò abun-
dent illi suo genio & ingenio, habeant suam hæc in re, quoad Metho-
dum, libertatem: modò contra veritatem primæ Philosophiæ non ali-
quid ponant. Quod enim dicunt *Essentiam esse principium à priori de-*
monstra-



monstrativum; hoc non admittendum est, si velint principium ex parte rei intellectum. *Non enim Essentia vere est principium Entis*, ut multi delirant, neq; etiam secundum rem prior est aut superior suis modis. Ergo secundum rem non erit principium. Si intelligant *rationem aliquam inferentem*, quæ fortè secundum rationem est superior, non adeò reluctamur. Hactenus ergò nostra methodus exinde nondum quit improbari aut ullius insufficientiæ accusari. Insuper *agunt hic de Transcendentibus*. Inclarefcit autem ex generali Entium divisione, esse quædam Transcendentia. Nam eorum quæ sunt, quædam certis & definitis categoriarum limitibus continentur, uti sunt omnia prædicamentalia. Quædam vero omnium rerum limites egrediuntur, seq; per omnes res diffundunt, ut Ens, Unum &c. Et dicuntur Transcendentia, quia transcendunt omnia. Notant verò autores, & rectè, quod *Transcensus* iste contingat duplici modo, vel *Entis nobilitate*, vel prædicationis communitate. *Illo modo* nimirum, ob eminentiam & sublimitatem Entitatis, Deus dicitur Transcendens, & res Divinæ. Quomodo Athanasius in orat. contra gregales Sabellii scribit: Deus non solum transcendit substantiam illam, quæ omnium aliarum substantiarum summum genus in Logicis constituitur, sed ipsum quoq; Ens sublimitate sua supergreditur, tanquam Ens Entium & Principium principiorum. *Prædicationis latitudine transcendentia* sunt universalissimi conceptus, qui de omnibus rebus prædicantur. Uti sunt Ens ejusq; attributa, tum ea, quæ in sensu unito contingunt, indeq; Transcendentia Unita vocantur, tum ea, quæ in sensu disjuncto dicuntur, & Disjuncta Transcendentia appellantur. Hæc ita hic movent, & non inutiliter in Metaphysica moventur. Sed cur strictè hoc in loco, non video. Cur non potius *Transcendentalitas terminorum in simplici Entis ἁωρεία* attingitur: cum & ipsum Ens sit Transcendens, & ejus Synonyma, ut Aliquid, Res, Essentia &c. Imò Transcendentalitas pertinet ad Entis Communitatem & Universalitatem, cujus mentio solet fieri in explicatione Entis. Verum enimvero, utut etiam hæc omnia se habeant, nostra tamen methodus apertè fluit ex consideratione Entis quatenus tale est. *Ille* scilicet suadet, ut explicata Entis quidditate, statim ad ea, quæ Entitatem per se consequuntur, progrediamur. Imprimis cum Ens, ut sic, non habeat principia constitutiva, quorum evolutio hic præcedat. Nos ergò vestigiis præceptorum nostrorum, utpote Clariss. Dn. Jac. Martini, & Dn. Gutkii, insistentes, nunc statim *de Affectionibus Entis* cum bono Deo sumimus præcipere. Ut verò distin-

ctè pro-

Etè procedamus, præsentem Disputationem in distincta duo capita discernemus, ita, ut generatim in primo agatur de Affectionibus Entis; & in altero speciatim de unitate tanquam prima Entis affectione. Sit ergo

CAPUT I.

DE AFFECTIONIBUS ENTIS
IN GENERE.

THESIS I.

Dubium esse non debet, quin *Ens habeat suas proprias affectiones*. Licet enim non admittat *πᾶν* seu proprietates realiter distinctas ab ipso: omninò tamen, habet attributa seu adjuncta talia, quæ de ipso per se prædicantur, ipsi à posteriori, quatenus tale est, conveniunt, & ad modum affectionum verarum se habent. Unde & Affectiones Entis appellitantur.

II. Sunt verò *Affectiones Entis* nihil aliud, quam *attributa Entis, quæ Enti per se insunt, ipsumq; semper concomitantur, adeoq; de Ente per se & convertibiliter prædicantur*. Sic dico: Omne Ens est Verum: & omne Verum est Ens. Item omne Ens vel est *Causa, vel Effectus*. Aliàs dicuntur *ἁπλοῦς ὄντος*, modi Entis, item *πᾶν, propria, passiones, proprietates, adjuncta, essentialia consequentia, & unitivè contenta in Ente*.

III. Solent hæc attributa Entis distinguere in *essentialia & Accidentalibus*, ut facit *Clariss. Dn. Jac. Mart. in prælect. Metaph. publ. lib. 1. cap. 2.* illa *ἁπλοῦς* & essentiali nexu Entitatem insequuntur, ista *δευτέρως* & certa *ἁπλοῦς* Enti, quatenus Ens est, conveniunt. *Essentialia in specie dicuntur affectiones & passiones Entis*, eò, quod ad modum *πᾶν* à nobis concipiuntur, explicentur, prædicentur.

IV. Hinc *affectiones Entis* sunt *vel Unite, vel Disjunctæ*. Patet hoc ex iis, quæ Enti, quatenus tale est, insunt ac tribuuntur. *In Ente reperitur Causatum esse, Causam esse, unde*

dico, Ens est causa, Ens est causatum. Sed quomodo? Universaliter? Non sanè purè affirmativè, sed disjunctim: Omne Ens est vel causa, vel causatum. Item *reperitur in Ente Unitas*, quæ de omni Ente enunciatur solitariè, ita, ut rectè dicam, omne Ens est unum, & contra. Inde jam patet, quasdam affectiones Entis esse unitas, quasdam saltem disjunctas.

V. *Unitæ Entis affectiones sunt*, quæ in sensu purè affirmativo de Ente enunciantur, illudq; solum modificant, & nullam distinctionem realem inter se important. Et sic se habet Unitas, Veritas, Bonitas.

VI. Sunt quidè, qui *plures unitas faciunt affectiones*: Alii addunt *Perfectionem*; alii *Existentiæ & Durationem*; Alii *Impossibilitatem*, ut Timplerus, & ejus Scholiastes Goclenius. Sed nos hac vice communem retinemus sententiam nostrorum præceptorum. Licet enim *difficultas* quædam esse videatur *quoad perfectionem*, eo quod omne Ens naturaliter & essentialiter sit perfectum; illa tamen *perfectio essentialis potius ad fundamentum affectionum*, nimirum ad Entitatem ipsam refertur, quam ut sit distincta affectio à Bonitate. Imò rectè ex Thoma docet *Cl. Dn. Jac. Mart. exerc. Metaph. lib. 1. Exerc. 17. theor. 1. Bonum & Perfectum non materialiter tantum, sed etiã formaliter idem sunt. Unumquodq; enim in tantum bonum est, in quantum perfectum.* Qua de re pluribus in disp. de Bonitate. Timpleri opinio de Impossibilitate valdè absurda est, cum *impossibilitas sit repugnans Essentia*. Qui ergo poterit esse ejus affectio? *De existentia & Duratione* dico cum Excell. Philos. Dn Jac. Mart. è prælect. Metaph. publ. quod *Existentiæ non sit verus modus Entis*, ut ut nonnunquam ita à nobis concipiatur. Etenim notat intrinsecam & formalem Entis rationem, non secus ac Res vel Aliquid. Sic Entis formalis ratio est actualis essentia. At Existentiæ & essentia actualis planè sunt idem: quippe Existentiæ nullum alium conceptum menti imprimit, quam actualis essentia.

E. non

E. non est Essentiæ modus, ut illam denominativè afficiat. *Duratio* verò, ut patet, est certum genus Entis, quod constituit prædicamentum *Quando*. Quod si in Deo consideretur *Duratio*, non distinguitur ex natura rei ab *Existencia*. Vide *part. Met. Dn. Jac. Mart. lib. 1. sect. 3. q. 2.* Manent ergo saltem tres Entis affectiones unitæ, uti omnium consensu sunt, *Unitas, Veritas, Bonitas.*

V II. *Disjunctæ Entis affectiones* dicuntur, quæ Ens non solum modificant, sed etiam se invicem respiciunt ut opposita, nec in sensu simpliciter affirmativo, sed disjuncto de Ente dicuntur. Et tales sunt variæ, utpote quando Ens dicitur *principium vel principiatum, Actus vel Potentia, Finitum vel Infinitum, Independens vel Dependens &c.* ut infra ordine dicetur.

V III. Cæterum & hoc in genere de Affectionibus Entis disquirendum est, *quomodo dicantur affectiones & quales sint.* Suarez disp. Met. 3. l. 2. & seqq. ponit 4. condiciones veræ affectionis. 1. *ut ipsa affectio seu proprietas sit aliqua res.* Nihil enim, quomodo alicujus affectio erit? 2. *ut quodammodo distinguatur ex natura rei ab illo, cujus proprietas:* aliàs enim vel ipsa essentia, vel de essentia subjecti esset, & ita non proprietas. 3. *ut adequatè illi conveniat, & cum illo convertatur:* Hæc enim sola sub veram cadit scientiam. 4. *ut subjectum, sive id, cujus proprietas est, non sit de intrinseca ratione & essentia talis proprietatis.* Non enim subjectum intrinsecè & essentialiter, sed duntaxat ut additum in definitionem passionis ingreditur. *Arist. lib. 7. Metaph. cap. 5. t. 18. item 1. post. Anal. cap. 18.*

IX. Ex his dicendum erit, quod *attributa Entis non sint affectiones Entis in rigore, & secundum univocationem dicta, sed κατ' ἀναλογία ita dicuntur,* quia admodum affectionum concipiuntur. Non enim istæ condiciones omnes, & præsertim ultimæ duæ, possunt aut debent accommodari ad modos Entis.

X. Quod

X. Quod si amplietur vox & terminus *Affectio*, ita, ut quoad conceptum universalem *affectio in communi sit attributum, quod rem aliquam insequitur proximè, eamq; denominat, & cum ea convertitur*: utiq; & Entis attributa veræ erunt affectiones & magis propriæ. Sic enim hæc tantum requiruntur in affectione. 1. ut sit attributum, sive id sit res, sive realitas solum, aut modus rei: modò formaliter non sit idem, cum re, cuius est adfectio. 2. ut proximè rem consequatur, eamq; denominet. h. e. non sit de essentia ejus, quod denominat, sed tamen non ita, ut ab ipso realiter differat. Hoc scilicet non requiritur ad affectionem ἀπλῶς, sed ad talem, utpote ad scientificam, quæ per causam demonstratur. Verum in affectione, ut sic sufficit, si habet peculiarem conceptibilitatem ex parte rei distinctam à conceptibilitate subjecti. 3. ut recipretur cum suo subjecto: scilicet non ratione essentia, sed ratione suppositi: In quot enim reperitur affectio, in tot etiam res ipsa. Et sic se habent attributa Entis, & ita commodissimè dicuntur affectiones Entis, licet non undiquaq; conspirent, cum affectionibus scientificis particularium rerum.

XI. Hoc ipsum comprobare videtur *Clar. Dn. Jac. Mart.* quando in *prælect. Metaph. publ. lib. 1. cap. 2.* contra Lippium, ita docet. *Est vera affectio etiam ea, quæ cum subjecto eandem essentiam habet; modo discrimen aliquod sit fundatum in ipsa re & intellectui nostro sese objiciat; fiatq; per illud conceptus objectivus alius atq; alius.* Verum non est ita vera affectio, ut in inferioribus disciplinis: Sed est vera κατ' ἀναλογίαν, h. e. est affectio analogica, quæ etiam vera est. Nam Analogia non tollit veritatem. Nulla igitur affectio vera est ullo modo, quæ ἀπλῶς idem est ac dicit cum subjecto, & non se habet, ut modus ejus secundum rationem ratiocinatam ab eo distinctus: h. e. quæ non formalem rationem objicit, intellectui in contemplatione distinctam à formalitate ipsius objecti. At illud hoc loco fit. Alia enim
in con-

in contemplatione se objicit formalitas Entis, alia unius, quod sufficit in attributis seu affectionibus Analogicis. Et non est necesse, ut in essentia ipsa sit aliquod discrimen.

XII. Porro quales sint, in controversia positum est. An nempe positivæ sint, propriæ & reales, disceptant autores. Sed facile res tota componitur, si distinctè procedas. Nam quando quæritur, *an affectiones Entis sint positivæ*, neq; simpliciter id affirmabis, neq; simpliciter negabis, sed ita dices. *Positivum* sumitur vel pro eo, quod est *Entitas* & res peculiaris, & sic negatur quæsitum: vel sumitur laxè pro omni eò, quod puro negativo opponitur, item ficto & *Enti rationis*. Et sic affirmatur, affectiones Entis esse positivæ, quia scilicet non simpliciter sunt nihil, & non Ens, neq; figmenta, aut Entia rationis. Similiter & *Reales* dicuntur: nimirum prout reale dicitur omne id, quod non est purum non Ens, aut Ens rationis & fictum. Sed quando Reale sumitur pro Ente ipso reali, tum utiq; nullo modo dicimus, quod Affectiones Entis reales, h. e. Entia realia sint, sed Entium realium modi & *formalitates*. Item *propriæ* dicuntur, quatenus non sunt *metaphoricæ* aut *alienæ*. Nam & hoc proprium dicitur. Si verò proprium sumatur pro proprio accidente, tum rectius dicentur Analogicæ affectiones, quam propriæ. Hæc de Affectionibus Entis in genere, nunc in specie ad Unitas ordine progrediendum erit, antequam tamen id fiat, pauca porismata è dictis fluentia apponamus. Sint ergo

A X I O M A T A.

1. *Non Entis nullæ sunt affectiones, nulla operationes.* Quia affectio omnis est subjecti affectio, & in ipso est, tanquam in subjecto. Quod autem non est, quomodo afficitur, quomodo in eo radicetur affectio? Sic operatio præsupponit esse: & quod non est, non poterit operari.

B

2. *Tales*

2. *Tales sunt affectiones, quales à subjectis esse permittuntur*: quippe omnem suam realitatem derivant è subjectis, inq; ipsis unice adservantur. E. & conditionem suam aut qualificationem, ut ita loquar, ab iisdem accipient, ut & determinationem ad talem vel talem nominationem & determinationem.

3. *Proprietatum deletio nature negatio est.* Vel ut Theodoretus dial. 3. *Ἰδιοτήτων ἀναίρεσις ἐστὶ φύσεων ἀφύνησις.* Intellige proprietates simpliciter essentielles. Non verò semper valet de iis, quæ κατὰ τὴν sunt essentielles. Plura vide in Sobr. Phil. D. Meisn. part. 1. q. 1. s. 1.

4. *Affectiones Entis sive Metaphysica non sunt scientificæ, nec tales, quales inveniuntur in inferioribus disciplinis.* Scilicet non sunt propriè demonstrabiles. Deinde non sunt accidentia propria, ut aliarum scientiarum affectiones, uti è thesibus constare potest.

5. *Affectiones Entis non differunt realiter ab Ente, sed duntaxat ex natura rei sive formaliter.* Rationes sunt 1. quia Essentialiter includunt ipsum Ens. Sic Unitas dicit Entitatem indivisam. Sic veritas dicit eandem essentiam, saltem sub alio statu, nempe entitatem conformem intellectui. 2. quia nequeunt concipi sine Ente. E. non habent diversitatem realem ab Ente. Aliàs enim non obstaret, quo minus illa diversitas realis fieret vel esse possit conceptus objectivus peculiaris, & ita sine Ente intellectui objiciatur. 3. quia realiter unum & idem sunt cum Ente. 4. quia in abstracto dicuntur de Ente, ut Ens est Unitas, Potentia, Necessitas. 5. quia ut attributa absoluta non faciunt compositionem cum Ente. 6. quia Essentialiter reciprocantur cum Ente. Quemadmodum dico omne Ens est Unitas, & omnis unitas est Entitas. 7. quia unitivè continentur in Ente. 8. quia non sunt Entia, sed saltem modi. At verò distinctio realis in absolutis requirit diversa Entia. E. Affectiones Entis non differunt realiter ab Ente. Interim

terim formaliter omninò distinctæ sunt ab Ente, quia habent diver- sam conceptibilitatem, & distinctam à conceptibilitate Entis, uti nunc dicitur.

6. *Affectiones Entis habent peculiarem conceptibilitatem, distinctam à conceptu ipsius Entis.* Diversa scilicet est aietas objectiva affectionis, & diversa aietas subjecti. Sic Unitas concipitur sub statu indivisionis. Bonitas sub statu convenientiæ. Ens autem non ita: sed simpliciter Ens concipitur sub ratione essendi. Licet verò conceptus affectionum sit formaliter distinctus à conceptu Entis ut sic, tamen non excludit entitatem, sed illam essentialiter includit, ut materiale.

7. *Affectiones Entis nihil positivi superaddunt Enti.* Id est, non dicunt Entitatem novam & peculiarem, sed unam eandemq; essentiam tantum aliter atq; aliter modificant. Duo sunt in affectionibus Entis, Materiale & Formale. *Materiale Affectionum Metaphysicarum* dicitur ipsum Ens sive conceptus Entis, qui intrinsecus est omnibus. Si namq; Entitas excluderetur à conceptu affectionum, ne quidem concipi, ne dicam esse possent affectiones istæ. *Formale* autem, est illa ratio, qua Ens variè se exerit, vel sub statu Indivisionis, utpote quando concipitur Unitas, vel sub statu congruentiæ ad intellectum, quatenus idem Ens concipitur ut verum &c. hoc est: *Formale affectionum Metaphysicarum est illa propria conceptibilitas, quam quævis habet peculiarem, & qua distinguitur ab aliis, quamq; Enti sive materiali suo superimponunt.* Et hæc formalitas affectionum Entis non est res positiva, neq; Ens reale, sed Entis positivi & realis attributum formaliter saltem ab ipso distinctum, ut ex axiom. 5. innouit. Quæ formalitas superaddit Enti non aliquid positivi, sed vel negationem, vel rationis respectum, vel peculiarem statum. Confer part. Metaph. Dn. Jac. Mart. l. 1. s. 3. q. 1. Scheib. lib. 1. Met. cap. 3. tit. 2. art. 1. n. 11.

8. *Attributa Entis sunt cum Ente convertibilia.* Scilicet Unita unitim & simpliciter, disjuncta disjunctim. Sic dico: omne Ens est bonum, & contra, omne bonum est Ens. Item omne Ens est vel causa, vel causatum, & contra, nihil est Ens, nisi sit vel causa, vel causatum. Intellige verò convertentiam suppositalem, non essentialem, uti è thesi 10. constabit.

9. *Affectiones Entis sunt aliquo modo propriae, reales & positivae.* Dico aliquo modo ita se habent, quia scilicet non metaphoricæ, neq; fictæ, neq; Entia rationis puræ, sed extra omnem cogitationem mentis Enti, quatenus tale est, revera insunt. Repete, si lubet, thesin 12. Non inscitè *Scheib. d.l. art. 2.* monet, quod *realitas & positivitas ista, quæ tribuitur affectionibus Entis, non competat ipsis, in eo, quod Enti superaddunt, sed in eo, quod Ens ipsum implicant & connotant.* Veluti Unitas non est indivisio, sed est ipsa Entitas indivisa. Hinc *Unitas dicitur realis, non ex indivisione ut sic, sed quoad implicitam Entitatem:* & verificatur de hoc toto complexo, Entitas indivisa. Sed hæc nunc de Affectionibus Entis in genere.

CAPUT II.

DE UNITATE TRANSCENDENTALI.

XIII. Singulæ ergo Affectiones Entis ordine veniunt expendendæ: ubi in speciali illarum theoriâ *primò occurrunt Unita* seu simplices, quæ solitariè & separatim de omni Ente dicuntur.

XIV. *Unita Entis affectiones* sunt tres. Unum, Verum, Bonum. Quarum prima nimirum *Unitas est absoluta & summè simplex*; Reliquæ duæ, nimirum veritas & Bonitas cum respectu rationabili adjuncto sunt simplices. Verum cum respectu ad Intellectum est simplex; Bonum verò cum respectu ad appetitum.

XV. Pri-

XV. Primò omnium præfenti in disputatione agendum erit *de Uno*: quippe absoluta sunt priora respectivis. Et quidem 4. circa Unius speculationem se offerunt. 1. *Quidditas Unitatis*, 2. *Proprietates*, 3. *Distinctiones generales*, 4. *Oppositum ejus*, de quibus ordine agemus.

XVI. *Quidditas Unius* ex opposito ejus innotescit, nempe ex multitudine. *Multa dicuntur, quæ inter se divisa sunt Entitatibus*. Ergo vi oppositionis unum erit, quod non est divisum in Entitate sua; adeoq; quod est indivisum in sua Entitate. Ut itaq; *Divisio indicat multitudinem, ita Indivisio significabit Unitatem*. e. g. Multi homines sunt essentiæ humanæ inter se divisæ: Et divisio essentialium humanarum introducit multitudinem hominum. Sic è converso, Unus homo est una essentia humana in se indivisa: Et indivisio entitatis humanæ præcisè dicit Unitatem hominis.

XVII. Hinc est definitio Unitatis: *Unum est, quod in se indivisum est*. Quam completius aliàs ita exprimunt. *Unum est, quod in se indivisum est, & divisum à quovis alio*. e. g. *Domus una* dicitur, quatenus in se est indivisa: *Regnum unum* dicitur, quod in se est indivisum: olla una est, quæ non est divisa ratione sui esse. Sed quando divisio accedit, & quasi discerpit, distrahit & dividit Ens, tum non amplius manet unum Ens, sed fiunt Entia, & quidem diversa. Sic *quando domus dividitur in partes*, ita, ut tectum separetur à parietibus, & hi sejungantur à fundamento, non sanè manet Domus, sed fuit, & unitate domus sublatâ, tollitur unâ ipsa essentia domus. Sic *quando regnum dividitur & distrahitur in diversas partes*, jam non amplius est regnum, sed fiunt regna, scil. imminuta. Sic *olla, quando frangitur & dividitur in varias portiunculas*, non est amplius unum quid, sed multa olla, hoc est, non-olla. Et sic porrò in aliis. Sic *homo unus est, qui ratione sua essentia humana est indivisus*. Quod si per mortem anima Rationalis dividatur ab homine, vel si homo decol-

B 3 letur,

letur, ut dividatur in caput & truncum, jam non amplius erit homo: sed divisus homo, seu est multus homo, hoc est, non-homo. Sic Unitas Entis consistit in Indivisione essentiali, hoc est, in negatione divisionis.

XVIII. Sciendum verò, quod *in Unitate* (uti in quavis affectione Entis) notentur duo. *Materiale*, quod est ipsa entitas, sive ipsa essentia, quæ quasi substernitur indivisioni, & essentialiter implicatur in Unitate. *Formale Unius est Indivisio*, quæ nihil aliud est, quam ille status Entis, quo idem Ens concipitur, ut aliqua res, quæ sua intrinseca ratione sit indivisa. Ubi attendes, quod hic intelligatur *Indivisio non accidentalis*: nam divisio accidentalis v.g. quoad ubi vel locum non tollit unitatem Entis: sed *Entitativa sive Essentialis*, quæ sumitur ratione essentiali propriæ, h. e. quoad adæquatam & specificam alicujus rei rationem. Quod enim ita indivisum, id omne unum est: uti e contra, quod ita divisum est in sua entitate, id omne multum est, h. e. entia ex uno facta sunt per divisionem entitativam. Hinc Unitas est entitas indivisa.

XIX. Hoc ipsum accuratè notat Suarez, quando *disp. 4. Met. sect. 9. dist. 14.* ait. *Unitas Transcendentalis est quæcumq; ratio Entis realis per se, quatenus indivisa est, adæquatè & secundum se.* Ubi dicit, quod Unitas sit ratio *Entis realis per se*. Scilicet Unitas essentialiter implicat ipsam entitatem, eamq; realem & per se. Non enim est sola indivisio, sed Entis indivisio, h. e. essentia indivisa. Unde pergit: est ratio Entis *ut indivisa est*: quia scilicet nec ratio sola, nec sola negatio facit unitatem, sed ratio Entis indivisa. Deniq; addit *adæquatè & secundum se*: qua Unitas in quavis re seu conceptu objectivo reali secundum propriam ejus rationem attendi debet, & non secundum aliquam superiorem, inferiorem aut extremam. Nam hæc sunt inadæquata, aut quodammodo per accidens. *Unitas verò uniuscujusq; est illi adæquata, & per se illi conve-*

convenit. Unde homo dicitur unus essentialiter, quia secundum propriam adequatam rationem suam non est divisus in essentiali ratione, quamvis in individuis entitativè dividatur. Non dicitur autem homo simpliciter unus illo modo, eò, quod sit indivisus in ratione animalis. Ea enim indivisio non sufficeret ad prædictam unitatem, eò quod non conveniat homini adequatè & per se, sed ratione superioris, ut rectè Suarez d. l.

XX. Porro proprietates Unius dicuntur Reciprocatio & Distinctio. Reciprocatur Unitas cum Ente nempe in ratione suppositi; cum æquè latè pateat secundum prædicandi modum. Sic omne Ens est Unum, & contra omne unum est Ens. Distinctio Unius ab Ente non est realis, sed formalls, sive rationis ratiocinatæ, ut in axiomat. dicitur fufius.

XXI. Caterum Unitas Entis non est omninò una, sed varia. Variat enim ad varietatem Entis. Uti enim Ens, ut sic, habet unitatem præcisam Entis, quæ est Indivisio Entis simplex & absolute sumta: & dicitur Transcendentalis, eò quod sit essentialis transcendentalis indivisio: Sic etiam Ens tale requirit unitatem talem. Et uti se habet essentia Entis, sic etiam necessariò se habet indivisio istius essentialis. Hinc quando Ens est singulare & Individuum, ejus Indivisio parit unitatem singularem sive individualem: quando Ens est Universale, ejus Indivisio parit unitatem universalem: quando Ens est quantum & numericum, ejus Indivisio nominatur Unitas quantitativa & numerica. Et sic porro modi determinatiores Unius solum expressius determinant unitatem transcendentalem, quæ est Entis præcisè sumti. Ut verò alias Transcendentia non dicunt naturam diversam ab inferioribus; sed intimè in iis continentur: sic etiam Unitas transcendentalis non est realiter distincta à modis Unitatis determinatioribus, sed saltem eandem Unitatem sive eandem indivisionem entitativam expressius considerat in aliis atq; aliis entitatibus.

XXII. Primò dividitur in *Unum per se* & *per accidens*. Non secus ac *Ens* erat vel per se, vel per accidens. *Unum per se* nihil aliud est, quam *Ens per se*, quatenus id est indivisum in sua essentia: Uti & *Unum per accidens est Entis per accidens indivisio*. Sic quando dico: Philosophus Theologus: ibi ut accidentali modo concurrunt in uno subjecto Philosophia & Theologia, sic etiam *Ens per accidens* faciunt; sic etiam *Unum per accidens*. vide Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 4. tit. 1. n. 9. 10. & seq.

Unum p. accidens

Unum aggregatum sine ordine

Unum cum ordine

XXIII. *Unum per accidens* sumitur *vel latè, vel strictè*. Significatu latiori unum per accidens dicuntur ea, *quæ unum sunt aggregatione*, quale unum aggregatione est *multorum vel sine ordine*, vel cum ordine. *Illud est*, in quo multa entia sine ulla ratione, & sine omni ordine congeruntur, ut acervus lapidum, tritici, hordei &c. Quæ tamen unitas est minima: quippe multa illa congesta nihil omnino faciunt novi Entis, sed duntaxat, quod Entis antè habebant, id sibi quodq; horum conservat: ideoq; novi Entis nihil sibi acquirit. Verum tantum de Uno quæq; habent, quantum de Ente. Sed *aggregatione unum cum ordine est*, quo quidem illa multa in unum collata, nihil sibi conferunt mutuo: quæ sunt Entia; sed tantum, quæ ad unum aliquod ordinantur. e.g. Exercitus ordinatur ad unum, nempe ad ducem. Sic Respub. est una. Sic unitas mundi dicitur ob ordinem partium inter se.

Unum ex se

Unum ex se
Unum ex se
Unum ex se

XXIV. *Strictius acceptum unum per accidens est, quod existit è subjecto & accidente mutuo informativis*. Accidens enim ad substantiam se habet, ut forma ad suam materiam: in qua unum facit compositum accidentale. Quale esse potest triplex: 1. ut sit *ordo subjecti ad accidens*, e.g. homo est quantus, mel est dulce. 2. ut è converso sit *ordo accidentis ad subjectum*. vel 3. *duorum accidentium inter se*, ut dulce est flavum, quia mel: docente Dn. Jac. Mart. in disp. Met. ex Arist. 5. Metaph. cap. 7.

XXV. Si

XXV. Similiter uti Ens per se varium est; ita & *Unum* per se variè dividitur. Attenditur autem *vel respectu sui, vel respectu multitudinis.*

XXVI. *Unum per se respectu sui est vel indivisum indivisibile*, uti est simplicissimum, quod omni parte caret, vel est *indivisum divisibile*: quale est omne compositum, & omnis creatura ex parte rei existens. *Illud dispescunt in summè simplex*, uti est solus Deus, & *simpliciter simplex*: idq; vel per modum abstractionis ultimatae, ut Ens quatenus Ens, & differentiae ultimae: vel per modum designationis, ut punctum mathematicum. Combach. lib. Metaph. cap. 5. thes. 21. ex Nicolao de Orbell. in 1. dist. 8. q. 1. item Dn. Jac. Mart. disp. Metaph. 3. de Uno. Dn. Gutk. Contempl. Met. disp. 3. thes. 17. & seq.

XXVII. *Unum Indivisum divisibile est*, cujus unitas sui partes includit: adeoq; illud unum actu quidem est indivisum, potentia autem est divisum & multum; quia potest resolvi in suas partes. *Et sic omnis creatura est una per se, licet* enim illa, quando una est, partes actu diversas & divisas non habet, tamen dividi potest in eas, è quibus est composita. Sic homo unus est, quatenus actu est indivisus ratione suae essentiae: Sed tamen per mortem potest dividi in partes essentielles, & sic unitas hominis tollitur, quia ipse homo tollitur. Et ita porrò Unitas se habet in corporibus omnibus: itemq; in angelis, quia & hi à Deo possunt destrui, ut ita eorum unitas entitativa per divisionem tollatur.

XXVIII. Porrò hoc *unum indivisum divisibile est vel numero Unum*, vel *Universale*. Illud dicitur ita vel positivè, vel negativè. *Unum numero positivè dictum est*, quod est unum per differentiae proprietatisq; numericae positionem. Quale est *quantum continuum*, cujus partes in uno puncto indivisibili sunt unum, utpote Linea: itemq; *Individuum singulare*, quod aliàs in specie dicitur Unum numero. Et consistit in ejusmodi proprietatibus, quarum collectio in nullo alio reperitur, ut Plato, Petrus, Maria &c.

C

XXIX.

Unum & se e
1. indivisibile
bille qd

2. summe simplex
3. sumptu simplex. id est
1. modum abstractionis
2. modum designationis

II. Ind. Divisibile

id est
A. nro unum.
1. positivè quale
2. negativè
1. quantum continuum
2. individuum

2. negativè

XXIX. *Unum numero negativè dictum est*, quod quia universale non est, plura numero non est, quippe non includit differentiam propriam, unde habeat numerum, ut *Materia prima*. Cl. Dn. Jac. Mart. in disp. Metaph. d. 1.

3. univ. universale.

N

XXX. *Unum per se Universale est rei universalis, ut talis est, propria*. Quò etiam refertur *Unitas formalis*, quæ est *indivisio rei indifferenter sumtæ in statu præcisionis*: prout Ens neq; actu est Universale, neq; est contractum ad statum singularitatis. vide *Exerc. Metaph. Dn. Jac. Mart. l. 1. Ex. 8. th. 6. & seqq.*

e.

1. Univocum.

1. gæ.

2. spæ.

XXXI. *Universale unum est vel Univocum, vel Analogum*. Illud semper est vel *Genus, vel species*: Unde dicuntur *unum genere*, quæ sunt sub uno genere vel proximo vel remototo: itemq; *Unum specie*. *Unum specie* dicuntur Individua, quatenus in una specifica essentia conveniunt. Sic Petrus, Paulus, Maria, & reliqua individua humana dicuntur *Unum quid*, quatenus in humanitate eadem conveniunt.

11. Analogia.

XXXII. *Unum universale Analogum* dicuntur illa, quæ analogicè conveniunt, vel quod secundum analogiam multis tribuitur: sive id contingat *juxta relationem multorum ad unum*, quomodo respectu corporis sani dicuntur sana, cibus, color, motus, urina &c. sive *secundum relationem multorum inter se*: quomodo substantia & accidens sunt *Unum Analogum*. Et hoc *Unum Analogum* variat pro diversitate Analogias: quæ est vel proportionis vel attributionis, qua de re supra *disp. 4. Confer Suarez disp. Met. 28. sect. 3. n. 10. Item disp. 32. sect. 2. n. 12.* Hinc *Unum Analogum juxta Analogiam proportionis subdividunt in Unitatem ordinis & Unitatem, per equivalentiam*. vide *Dn. Gutk. in Contempl. Met. disp. 3. thes. 24.*

Repetitio multitud.

1. Affirmative tr.
2. Negat dicitur in re
in se simpli.

XXXIII. Sic fuit Unius varietas respectu sui: *Unum respectu multitudinis* dicitur aliquid vel *affirmative tantum*, quomodo *Unum est omne Ens*, quod duntaxat negat divisionem

nem

XXX



nem in ipsa re, quæ una dicitur: & ponit distinctionem ab aliis: non verò exinde statim removet aut negat alia similia ejusdem naturæ, generis vel speciei. Sic Petrus est Unus, licet plures sint homines quam Petrus: vel affirmativè & exclusivè simul est aliquid Unum: quale est id, quod excludit consortium aliorum similium. Sic Sol est Unus, quia plures specie soles non dantur: Sic Cælum est Unum. Sic Deus est Unus, quia præter ipsum nullus est alius. Confer Dn. Jac. Mart. in disp. Met. 3. de Uno. Sed tamen hîc unitas tantum sumitur affirmativè: cum Unitas Metaphysica non neget similia, sed divisionem in se.

XXXIV. Deniq; distinguunt Unitatem æquivocè in Rei & Rationis. Unitas rei est, quando res extra mentis operationem est indivisa: sive sit simpliciter talis & Univoca, sive Analogica. Unum rationis non est ipsa rationis intransitiva veritas, sed transitiva, quæ & objectivè, & effectivè, & consequenter à ratione est. Sic intellectus combinat montem & aurum. Unde exsurgit mons aureus, qui est unus per nudam rationem ad modum Entis per accidens. Sic in arte memorativa locali constitutio imaginum, earundem animatio, & ad locum applicatio sunt Unum, sed nuda unitate rationis; quia à mente sunt objectivè, & nuda comparatione ad res existentes fiunt.

XXXV. Tandem Unitas consideranda venit in oppositione. Difficile verò est, de opposito Unius aliquid determinare. Quia enim omne Ens est Unum, ita ut Unitas sit affectio Entis Unita & simplex, id sanè, quod unitati opponitur, erit Non-Ens. E. non datur Non-Unum. Interim possumus dicere, quod non-unum contradictoriè opponatur Uni, tanquam non-Ens Enti. Deinde vulgaris opinio est, quod multum sive divisum opponatur Uni, sed quomodo, dubium est. Dn. Gutk. adserit, quod opponatur multum uni tanquam affectio affectioni, non verò tanquam membrum directè oppositum.

2. aff. sexclusivè
simil. qd. infir.
p. negat similia.

Unitas

1. rei

2. rationis

Sp. J. unum

Cl. Dn. Jac. Mart. in prælect. Met. priv. cap. 8. ait: Unitati opponitur multitudo, non affirmativè ita, ut cum ipsa faciat affectionem disjunctam; sed negativè & sic contradictione ita, ut multitudo tollat, quâ talis omnem unitatem & sic consequ. entitatem. Nobis hac vice sufficit, quod multum inferat aliqualem privationem Unitatis, adeoq; oppositio privativa locum hîc habere possit. Item, quod *multitudo ad Unitatem reducatur*: quippe quæ propriè affectio Entis (quatenus omne Ens est Unum) non est. Quando enim ad multitudinem deventum est, jam non Ens est, sed plura Entia. Quæ etiam ipsa & plura simul & Ens nequeunt esse, nisi ad Unitatem quandam redigantur. vide *Suarez disp. Met. 5. sect. 4. 5. 6. & seq. Cl. Dn. Jac. Mart. in part. Met. l. 1. sect. 3. q. 7. 8. 9. & seq. Dn. Gutk. Contempl. Met. disp. 3. thes. 27. usq; ad finem.* Hæc de Uno quoad theses.

Usus & abusus hujus disputationis.

De Utilitate hujus doctrinæ, quam exerit in ipsis primæ Philosophiæ speculationibus, non opus est, ut operosè dicamus. Patet enim, quod nemo sine vera hujus rei cognitione feliciter progredi possit in studio Metaphysico. Sanè miser ille erit Metaphysicus, qui nescit affectiones Entis discernere ab aliarum disciplinarum passionibus: qui nescit attributa Entis saltem esse modos Entis, & non Entia aut accidentia propria: qui nescit unitas affectiones distinguere à disjunctis: qui nescit unitatem Individualem, numericam, quantitativam discernere à transcendentali: qui nescit quid sit unum per se, & quomodo contradistinguatur uni per accidens: & ita porrò alias Unius distinctiones qui nescit, omninò miser erit Metaphysicus. *Usus respectivus* hujus disputationis est tum in Philosophia, tum in Theologia. *In Philosophia* commodat i. ostendendo *veritatem propositionis non semper*

semper importare realem distinctionem predicati à subjecto, item propositionem non statim fieri identicam, licet termini enunciationis non distent realiter. Constat enim è doctrinâ generali de affectionibus Entis, quod istæ non realiter differant ab Ente, sed saltem ratione ratiocinatâ, & tamen sunt veræ Enunciationes, & non identicæ, quando dicitur: *Ens est Unum, Deus est Unus, Ens est verum &c.* Quando ergo dicitur: *Deus est justus, Essentia Dei est una, potentia Dei est infinita,* ibi non statim debemus nobis imaginari, ac si illis enunciatis, realis distinctio ponatur in Deo. 2. ostendendo *predicata realiter subjecto convenientia non semper inferre compositionem realem aut accidentalem.* Nam Unitas, Veritas, Bonitas, &c. sunt realia Entis attributa, & tamen nullam faciunt in Ente compositionem. 3. ostendendo *non omnia attributa paronymica statim esse accidentia.* 4. ostendendo *affectiones imitari essentiam & conditionem subjectorum.* Inde Physicus discet proprietates corporis naturalis æstimare conditione naturæ. Inde Philosophus finitas perfectiones colliget in subjecto finito, itemq; infinitas in Ente infinito. Inde perspiciet Dei potentiam, sapientiam &c. esse infinitam, eò, quod ipse sit Ens infinitum: & e contra ex operatione & perfectione finita colliget Philosophus essentiam finitam: itemq; *ex modo operandi infinito deprehendet Esse infinitum:* quomodo naturaliter ascendit in cognitionem Dei ex virtute creativâ Dei. 5. *Doctrina de Uno multas habet utilitates in Philosophia.* Distinguendo Unum per se ab Uno per accidens, quod ubiq; Philosophus præstare debet: discernendo Unum rei ab uno rationis, Universale unum ab Individuali: item ostendendo, quod Unitas non tollat respectuum varietatem, neq; neget quamvis divisionem, partialem aliquam, aut inadæquatam, aut accidentalem; sed entitativam: quodq; Unitas non semper à forma proveniat, sed simpliciter ab essentia rei: Nam & Deus Unus est, cujus

unitas non est à forma quadam, sed ab ipsa simplicissimâ Dei
essentiâ. Reliquas utilitates nunc mitto. *In Theologia* etiam
usum habet hæc præsens disputatio, quando docet, quod
affectiones Entis essentialiter implicent ipsam entitatem Entis.
Inde elucescit, quomodo attributa Dei sint ipsa essentia Dei.
Quem ad modum enim Unitas, Veritas, Bonitas, sunt ipsa
Entitas, saltem sub alio atq; alio statu se exerens. Ita, v. g. Justi-
tia Dei, misericordia, Infinitas, Immensitas, Veritas, Bonitas
Dei, sunt ipsa essentia Divina, saltem aliter atq; aliter se exc-
rit: nempe justitia Dei est essentia divina, prout actum pu-
niendi in creaturis exercet, Misericordia Dei est eadem sim-
plicissima essentia Divina, prout sub statu miserationis se
exerit erga creaturas, & ita porro in aliis. Hæc insuper exin-
de clariora fiunt, ubi dictum est, quod affectiones Entis non
realiter distinguantur ab Ente, sed saltem ratione ratiocina-
tâ. Item quod non dicant novam Entitatem de se in Ente:
verum unam eandemq; essentiam variè denominent ac mo-
dificent. Et ita similiter se habent attributa Dei ad essentiam
Divinam. Adde quod exinde suo modo clarescat, quomo-
do *personæ Trinitatis realiter & essentialiter includant ipsam
entitatem sive essentiam Dei; & quemadmodum una est essen-
tia divina, sic tres isti modi subsistendi sint unius ejusdemq;
essentiæ modi subsistendi. Veluti Unitas, Veritas, Bonitas
dicunt ipsam essentiam Entis, sic persona quævis in Deo dicit
ipsam essentiam Dei.* Et tamen ob tres personas non fiunt tres
essentiæ, quia quævis essentiam Divinam, quæ una est, im-
plicat: Unde sunt unius essentiæ divinæ tres modi subsisten-
di, vel tres personalitates, qualiter etiam suo modo Unius
Entis sunt tres affectiones. Hæc attingo, non ac si inde vel-
lem quicquam probare in isto mysterio: Sed ut rem firmiter
è sola scriptura probatam aliquo modo declarem, ut contra
Photinianos habeamus explicationes, quando simpliciter
volunt urgere, dandas esse tres essentias, si statuamus tres per-
sonas.

sonas. Hoc enim non sequi, vel ex nostro simili (quod tamen non extendatur ultra suum scopum) patet de tribus affectionibus Entis in uno Ente. Deinde *doctrina de Uno* insignes habet utilitates in disputationibus Theologicis. Non licet jam omnes attingere. Non dicam, quod inde innotescat *Deum verè & propriissimè esse Unum*: Deum esse unum, indivisum indivisibile: quod unitas Dei dicat ipsam essentiam Dei, quatenus illa est indivisa: quod Deum unum esse, nihil aliud sit, quam Deum esse indivisum in sua essentia. Non dicam, quod inde resultet: *Deum ita perfectissimè esse unum, ut numero* (juxta analogiam eminentiæ, de qua in disp. 4. præcedente) *sit unus: Deum infinito modo esse unum: ut scil. essentia Dei se habet, ita etiam Unitas Dei se habeat.* Ergò *quia Dei essentia est infinita, etiam ejus Unitas infinito & mirabili modo se habebit.* Sed hoc nunc tantum dico, quod *contra hereticos Photinianos insigniter hac doctrinâ uti possimus.* Illi namq; urgent unum semper esse incommunicabile: adeoq; fieri non posse, ut una essentia sit communis tribus personis, quemadmodum nos credimus in mysterio Trinitatis. Hic si quis attendit, quod Unitas dicat indivisionem essentiæ in se, facilè se expediet respondendo: *Unum non consistere in incommunicabilitate, sed in Indivisione.* E. præcisè loquendo potest salvari unitas, si maximè non adsit incommunicabilitas. Ergò simpliciter verum non est, quando dicunt Photiniani: unam essentiam non posse esse communem tribus personis. Imò ex hac ipsa disputatione ostendere habebit, quod *una Essentia Entis sit communis tribus affectionibus unitis.* Sed manum de tabula. Interim videatur Dn. Jac. Mart. in lib. 2. de T. E. Item disp. nostra 5. quæst. 5. in spicil. quæst. illust. Phil. itemq; 10. disp. q. 6. ibid. ubi fufius hac de re egimus.

De abusu non jam licet plura addere, quia nimium excrevit materia. Saltem urgeas hîc contra Sophistas *abstractionem*

tionem terminorum, ut id, quod formaliter important, adsumas, reliqua, quæ ad termini formalitatem dicuntur, consequi cautè. Solent hac in re Sophistæ fallere *confundendo materiale cum formali* in affectionibus Entis. Item *modos determinationes Unius non discernendo: Unitatem univocè applicando; ubi analogicam adsumere debebant*. Quæ si observaberis, ab abusu hujus disputationis præservaberis.

A X I O M A T A.

1. *Quod non est unum, illud ne est quidem*. Quia sc. Unitas est adæquata Entis affectio unita, ita ut omne Ens sit Unum. Et ecce: si quoddam Ens non est unum, est multiplex; si est multum, jam est divisum in essentiâ. At si est divisum in re ipsa, utiq; etiam erit divisa Entitas. Ubi verò sunt divisæ entitates, ibi jam non est Ens, sed Entia. E. quod non est unum, non est Ens, sed Entia, & coalitio plurium Entium. Et nisi talis concursus plurium Entium ab unitate aliqua quasi sustentetur: omninò nihil erit.

2. *Unius quidditas est essendi indivisibilitas*. Hoc est, Unitas formaliter consistit in Indivisione essentiæ. Vel ita: *Unitas in adequato suo conceptu dicit entitatem ipsam, ut est indivisa*: quemadmodum è thesibus inclaruit. Ut enim quantitas dicitur & est una ob quantitatis (v. g. lineæ) indivisionem: Sic quoq; Entitas & essentia quævis dicitur una per Indivisionem.

3. *Unitas essentialiter implicat ipsam entitatem rei*. E. dictis, non enim aliud quid est unitas ab Ente, sed ipsum Ens, ut est Indivisum: non secus & artefacta non significant nudam formam, sed unà dicunt ipsam materiam. Quod si non esset, utiq; prædicarentur univocè, quæ eandem formam participant, sine materia eadem. Hoc autem non fit, ut patet de ferra ænea & ferrea. Similiter unitas non dicitur univocè de Reali & Rationis, quia Ens de se involvit illa. Hæc verò non.

4. *Unitas*

4. *Unitas nihil positivi super addit Enti, sed nudam negationem divisionis.* Eatenus enim Ens dicitur unum, quatenus non est divisum in se. Scies autem, quod *negatio ista non sit mera negatio* (quemadmodum negatio visus in lapide) utpote aliquid adhaerens subjecto reali, sed quod *consequenter se habeat ad modum privationis.* Neq; verò propriè privatio est, quia ista negatio (quæ in unitate est) sæpè tribuitur rebus, quæ nequaquam apta recipere id, quod unitas negat. *E. ad modum privationis se habere dicitur.*

5. *Unum non differt ab Ente, nisi formaliter.* E dictis patet, quod non distinguantur realiter. Quia tamen Unitas est affectio Entis, aliquo modo ~~ex natura~~ rei distinguatur ab ipso oportet: Et quidem non alia distinctio, quam formalis, sive rationis ratiocinatæ hic obtinere potest. Cl. Dn. Jac. Mart. in prælect. Metaph. privatis lib. 1. c. 8. ait. Unitas distinguitur ab Ente 1. *radicaliter ratione negationis divisionis.* Negationem divisionis Enti superaddit, adeoq; per illam ab Ente & cæteris attributis distinguitur radicaliter, id est, tanquam per proximum fundamentum radicem & originem istiusmodi distinctionis. 2. *formaliter non per solam negationem divisionis, sed per entitatem ut indivisam.*

6. *Ut se habet natura Entis; sic quoq; se habet ratio Unius.* E dictis, & in specie ex axiom. 3. Quemadmodum in arte factis variatâ materiâ dignitas formarum artificialium variat: ita Unitatis ratio & conditio variat ob variam Entis naturam: Unde & unitas alia est formalis, alia materialis, alia Universalis &c.

7. *Una est omnis res per substantiam suam.* Alex. de ales 4. Metaph. text. 3. intellige per essentiam sive entitatem propriam cujusq; Entis.

8. *Unum, quod in omnibus est unicum, perfectionem habet.* Albert. Mag. de An. 3. tract. 2. cap. 3.

D

9. Unum

9. *Unum esse necesse est, quod est in ultimo perfectionis.* Averr. ex destructione destruct. disp. 7. scil. quod magis perfectum est, etiam magis est unum. E. quod est summè perfectum, aut ultimato completum, oportet sit unicum.

10. *Unum naturà prius multitudine.* Alex. de Ales. 10. Met. text. 1. quia scil. multitudo dicit privationem unitatis.

11. *Unitas conservat res, multitudo verò destruit.* Sic unitas Reip. aut regni omninò est conservativa sui, sed divisio aut multitudo semper aliquid detrahit, tandemq; destruit imperium.

12. *Nulla datur multitudo, quæ non uno participat.* Vel ut Alex. de Ales 2. Metaph. loquitur: *Multitudo omnis participat aliquantulum uno:* quia tandem reducitur ad analogiam. Puta, quo quid magis succedit ab unitate, eò magis secedit ab entitate. E. quod ab unitate secederet, omninò nihil foret. Hinc mundus ut ut materialiter sit multitudo, tamen formaliter est unus per ordinem. Sic centenarius est totum illud, quod in se habet centum partes: & numerus vel maximus unitate participat per collectionem unitatum in unam summam.

QUÆSTIONES

I.

An Indivisio Unius sit Negatio?

Ex parte rei Indivisio, in qua formaliter consistit unitas, non est negatio. Quomodo enim negatio posset esse adfectio entis; cum omnis negatio reducatur ad ens rationis ratiocinantis? Deinde negatio simplex omninò nihil est, unum verò certum entis statum, quo se exerit, designat. Ergo unum, & ejus Indivisio non sunt pura negatio. Sed dicunt, si aliquid ponit Indivisio, jam erit quid positivi: Verum
rum

rum in promptu est responsio. Non ponit Indivisio aliquid
positivi, sed aliquid rationis ratiocinatae, designatq; id in
ente, & in omni ente, quod scilicet ens, quatenus ens excludat
omnem entitativam divisionem, id est, multorum ensuum
coacervationem & omne ens ita sit essentiae suae terminis in-
clusum, ut ab omni alio sit distinctum. Nec est, quod urgeat-
ur; Excludere divisionem entitativam esse terminum nega-
tivum: Etenim saltem est terminus apparenter negativus,
quemadmodum saepe solemus exprimere aliquam realita-
tem per modum negationis, quando scilicet idoneo de-
stituimur vocabulo & res ipsa abstrusa deprehenditur.

*in mente cu
fundamento
in re.*

*ob.
12.*

II.

*Quomodo differant Unitas formalis
& Materialis?*

Unitas formalis est, quae per se & immediatè convenit es-
sentiae, prout praecedit ab esse, quod habet in individuis. Quo-
modo omne, quod definitur, est unum. Definitio enim ho-
minem, non quatenus homo est universalis, sed quatenus
in sua formâ spectatur. Sed Unitas Materialis sive individua
(quae Aristoteli 3. Metaph. t. 14. vocatur Numerica) confi-
sit in indivisione non tantum actuali, sed etiam potenciali
alicujus naturae seu entitatis in plures similes sub eodem no-
mine & ratione, id est, in quibus tota illa ratio includitur.
Ergo differunt non realiter, sed ratione. Item Unitas for-
malis datur in rebus extra operationem mentis; & est fun-
damentum tam materialis unitatis, quam universalis. Item-
que Unitas formalis attenditur *in Ente vel re*, quae Arist. lib.
de Interpr. dividitur in universalem & singularem, vel sub

unitate mediâ sive abstractâ ab unitate materiali & univer-
sali. Et ita Unitas Materialis, quia contracta est ad singula-
rem, statum repugnat communicationi vel multiplicationi:
Sed unitas formalis est indifferens, & præcisè sumitur
in sua essentiâ propria & absoluta.

F I N I S.



... in ... est, que per se & immediatè consistit
... prout prædictum ab esse, quod habet in individuo. Sed
... modo omne, quod dicitur, est unum. Dicitur enim ho-
... inveni, non quatenus homo est animal, sed quatenus
... in se forma prædicta. Sed hinc in Mathematicis videtur
... (per Aristoteli & Aristophanem, vocatur unum) con-
... sit in indivisibile non tantum ad usum, sed etiam potestati
... aliter rationem tenentur in plures unum, sed rationem no-
... unum & rationem, id est, in quibus eorum illud, quod indivi-
... hæc unum non est, sed rationem. ...
... tatis datur in rebus, cum operationem unam, ...
... damentum tam materialis unitatis, quam materialis, ...
... que lineas formales prædicantur in rebus, ...
... ut in rebus dividitur in universalem & singularem, ...




AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle
003 357 104

3







Farbkarte #13

B.I.G.



7

TIONUM
SICARUM
TA

IBUS ENTIS
NERE,

N SPECIE,

o auspice
SIDIO

S SCHARFII

d. Saxonis

UCOREA
defendet

ALDBERGIUS
egalburgicus.

boris matutinis
o minore.



ERGÆ
RISTIANI THAM,
Typogr.
OC XXIII.